



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. Ad horas singulas, alicuius mysterij passionis Christi meminisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

collocatos. Cujus precationis formulam (uti & reliquis pacti leges) adscriptam habes in libello, cui titulus: *Exercitium amoris Dei pro nobis crucifixi*: inque varijs Christi patientis imaginibus in confederatorum gratiam editis, eisdemque dicatis.

§. 2.

Ad horas singulas, alicujus mysterij passionis Christi, meminisse.

Extat eam ob rem, circumferturque piorum manibus, formis aeneis expressum (quod vocant) *Horologium Passionis*; ubi singulis diurnis nocturnisque horis assignatur, quid eâ horâ speciatim Christus passus sit: ut (sicut ea allu- bescat religio) in promptu habeat, quo meminerit, quoniam cruciatu istâ horâ confectatus sit Redemptor; eique adeo eo nomine gratias agere, & suas, seu actiones seu passiones, cum eo Christi dolore conjungere possit. Cujus opera in speciem levis, tamen (uti aliâs admonebimus) non leve futurum est pretium: quod cum in morem particula- tim singulas cujusvis diei horas, passionis Christi memoriz atque honori consecrando, sensim consuecat Christianus vitam omnem purè sanctèque degere; fiatque tandem quod exoptabat Apostolus: *Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.*

2. Cor. 5.

1. 2. Sic.
cap. 4.

lib. 1. Sic.
cap. 2.

Potissimum autem consultum erit, eam observatio- nem adhiberi in Officij sacerdotalis sive Horarum canoni- carum pensatione. Quod B. Ludovicum Bertrandum ex Ordine S. Dominici, ita factitasse legimus, ut singulas Ho- ras ejusdam mysterij passionis (atque ejus, opinor, cui re- colendo Hora qualibet addicta est) memoriâ celebraret, certâ præmissâ de ipso mysterio precatione.

Cui affine quiddam usurpabat ex Ordine nostro viri- tatis, P. Petrus Faber, singulas Horas canonicas,

tum vitæ à Christo inter nos actæ; tum præsertim dolorum
ejus piâ recordatione consecrans: quæ res ita proditur ab
illius vitæ scriptore: *In inchoandis Horis canonicis* (inquit) ^{l. 2. c. 7.}
in acerbissimos Christi cruciatus indignamque necem sua mentis
sugebat aspectum; & ut psallendo progrediebatur, ita in repu-
tandis acrioribus ejus pænis atque doloribus procedebat. San-
cta item Clara de Monte Falco singulis Horis canonicis pas-
sionis Christi certa mysteria assignaverat; ut refert Nico-
laus Lancicius ex ejus Vita. Et videri possunt quæ huc per-
tinentia tradit etiam S. Mechtildis libro spiritualis gra-
tiæ, capite 28.

De avidis.
in orat.
cap. 43.

Quod porrò ad precatiunculam eâ gratiâ Horis præ-
mittendam attinet; quædam habentur eam in rem conce-
ptæ formulæ, breves equidem sed efficaces, siquis eas assue-
scat cum aliqua animi attentione promere. Quarum eam
solum quæ ad Horam sextam pertinet, exempli causâ hîc
appono: nam facile erit cui placuerit, ad eam formam re-
liquas conficere, variato duntaxat mysterio cuilibet Horæ
accommodato. Sic igitur habet: *Salve Hora sacra, in qua,*
Domine IESU Christe, in monte Calvarie crudeliter denuda-
tus es: & Domine IESU Christe, has omnes afflictiones tibi of-
fero; pro illis gratias ago; pro illis miserere mei.

§. 3.

De passione Domini libenter sermonem facere.

Adjungimus denique & hoc familiare pietatis exerci-
tium; nimirum de passione Domini, ubi res tulerit, li-
benter sermonem ingerere; aliòsque ad idem studium, ac
IESU crucifixi amorem adducere.

Erit hoc, tum nostri adversus Christum patientem a-
moris indicium; nam siquid amamus, de eo libenter lo-
quimur: tum præsidium memoriæ; frequens enim de re,
aliqua sermo, aliis eam defigit in animis: tum denique,